



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

XIV. De decimis antiquarum & nouiter consecrataru[m] ecclesiarum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

tione presbyteri caute obseruetur & collocetur. Vtique ad octauum namque diem ipsa regeneratio sacra ab omni Christiano populo celebrabitur, quia resurrectio Domini octo diebus colitur.

ANNO  
CHRISTI  
895.

## XIII.

De decimis Augustinus doctor mirabilis sub breui ratiuncula satis videtur dilucidasse, cum ait: Decimæ ex debito requiruntur. Quid si diceret Deus? nempe: Meus es o homo, mea est terra quam colis, mea semina quæ spargis, mea animalia quæ fatigas, meus est solis ardor: & cum omnia mea sint, tu qui \* minus accommodas, solam decimam \* merebaris, sed seruo tibi nouem; da mihi decimam. Si non dederis mihi decimam, auferam nouem. Si dederis mihi decimam, multiplicabo nouem. Si ergo quærit aliquis, cur decimæ dentur, sciat quod ideo dandæ sunt, vt hac deuotione Deus placatus, largius præstet quæ necessaria sunt: & vt ministri ecclesiæ exinde releuati, liberiores fiant ad spiritualis seruitii expletionem: & vt munus populi exhinc in quotidiana oblatione Domino immoletur: nec non secundum statuta Canonum, in sustentationem pauperum, & restaurationem ecclesiarum proficiant. Quatuor enim fieri partes iuxta Canones iudicamus de decimis & oblationibus fidelium: vt vna sit episcopi, altera clericorum, tertia pauperum, quarta restorationi ecclesiarum seruetur: sicut in epistola Gelasii papæ capite vigesimo septimo legitur.

Decimæ  
cur dentur.

## XIV.

Placuit huic sancto Concilio, vt secundum

ANNO  
CHRISTI  
895.

sanctiones Canonum, decimæ, sicut & aliæ possessiones, antiquis conferentur ecclesiis, sicut in Calchedonensi sancto Concilio statutum est, capite decimoseptimo. Si quis autem in affinitate antiquæ ecclesiæ noualia rura excoluerit, decima exinde debita antiquæ reddatur ecclesiæ. Si vero in qualibet silua, vel deserto loco, vltra milliaria quatuor aut quinque, vel eo amplius, aliquod dirutum collaborauerit, & illic consentiente episcopo ecclesiam construxerit, & consecratam perpetrauerit, prospiciat presbyterum ad seruitium Dei idoneum & studiosum, & tunc demum nouam decimam nouæ reddat ecclesiæ; salua tamen potestate episcopi.

XV.

Restat propter instantem, quæ tunc maxima occurrit, necessitatem, vbicumque facultas rerum & opportunitas temporum suppetat, sepulturam morientium apud ecclesiam, vbi sedes est episcopi, celebrari. Si autem hoc propter itineris longinquitatem, aut adiacentem alicuius inopportunitatis difficultatem, impossibile videatur, expectet eum terra sepulturæ suæ, quo canonicorum aut monachorum, siue sanctimonialium congregatio sancta communiter degat, vt eorum orationibus iudici suo commendatus occurrat, & remissionem delictorum, quam meritis non obtinet, illorum intercessionibus percipiat. Quod si & hoc ineptum & difficile æstimetur: vbi decimam persoluebat viuus, sepeliatur mortuus.

Viuorum  
pro defun-  
ctis inter-  
cessionibus  
asseruntur.

XVI.

Abhorrendus, & Christianis omnibus deuitan-

Mmmm iij